



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Appellationibus. Consilium CLXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

idque etiam cum ostentatione gratitudinis, quod factorus non erat, si Dominus Lambertus fuisset illorum debitor. In summa eo loco nunc collocata est hæc causa, ut appellantes nihil adjudicari possit; & ne quidem retractari prædicta sententia interlocutoria, multo minus ipsa definitiva per viam attentati aut iniquitatis, vel injustitiæ, propter causas superius ex ordine discussas; sed condemnandi erunt appellantes in expensis hujus instantiæ.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellatio alternativa.

1. Appellatio alternativa an valeat.
2. Fatalibus durantebus executio sententiæ impediri potest.
3. Sententia falsum continens est nulla.
4. Desertionem non obiectam an Iudex inspicere debeat.
5. Terminus hominis an ita ardeat ut terminus iuris.
6. Articuli non relevantes admitti non debent.

CONSILIVM CLXXI.

CONTROVERSI juris est, an alternativa appellatio à sententia Iudicis interposita, si appellans durante decennio, quod ad appellandum datur, non declarat aut eligat, apud quem causam appellationis introducere velit, sit nulla? Nam Ioannes Andrea in gloss. c. si is cui de off. deleg. lib. 6. & in 6. In alternativis de R. 1. l. 6. & hunc sequuti Philippus Francus, in d. c. si is cui nu. 4. Alexander cons. 101. 164. 167. vol. 2. Angelus Perulius, & Ioannes de Imola, in l. 1. §. si quis de appell. ex ultimârunt appellationem esse nullam; contra Speculator, in nu. de appell. §. nunc tractemus, Baldus, in l. cum proponas n. 5. C. de bon. arb. ind. possid. & in l. appellatione n. 8. C. de appell. Panormitanus, Felinus, in c. inter cetera de appell. Condifalvus de Villadiego Auditor Rotæ Romanæ, in tract. de legat. quasi. 8. nu. 34. Geminianus, in d. c. si is cui nu. 5. & aliquot alij, appellationem utilem esse censuerunt; & Angelus Perulius, in d. l. cum proponas nu. 2. immemor prioris sententiæ, securè attentari posse voluit, appellationem valere, etiam si appellas intra decem dies non declarat quem Iudicem superiorem eligat; quasi declaratio etiam post terminum fieri possit, l. heredes palam §. 1. de testam. Quam posteriorem affirmativam sententiam auditorium Rotæ Romanæ sequutum est & comprobavit, Rota decis. 209. appellatio alternativa in novis aliis est. 3. de appell. Satis enim est, si re ipsa fiat declaratio per prosequutionem appellationis coram uno ex his Iudicibus intra terminum vel à jure, vel ab homine ad prosequendam appellationem præfixum; quia incertitudo, quæ consistit in alternatione, sic reducitur ad certitudinem, Ioan. de Lignano in c. si duobus de appell. Quod quidem minus dubitationis habet, quando appellatio per Iudicem semel admissa est, etiam si tempus ad declarandum Iudicem & prosequendam appellationem præfixum sit, Gemm. in d. c. si is cui nu. 5. omniumque maximè, si appella-

tus non contradixerit.

Cùm igitur in causa appellationis Domini Caroli Nitzen post appellationem vivâ voce à sententia Commissarii D. Officialis Leodiensis primæ instantiæ Iudicis septima Februarij, ad committentem vel ad Sedem Apostolicam interpositam, apostolorumque reverentiales cum præfixione terminorum consuetorum obtentos rescriptum appellationum Romæ sit impetratum 12. Iunij tunc proximè sequentis, ejusque vigore causa coram D. Abbate S. Gertrudis introducta, & sine ulla appellati contradictione aut objectione nullitatis terminata; non est iusta causa, cur dicatur Dominum Decanum S. Martini Leodiensis tertiæ instantiæ Iudicem ideo benè declarasse præfatum Dominum Abbatem malè retractasse dicti Commissarii sententiam, quasi appellatio ab eadem præfati Commissarii sententia fuerit deserta; cùm desertionem hic nulla occurrat species. Nam constat initium prosecutionis appellationis factum esse in primo bimestri à datis apostolis; quia tertia Aprilis facta est declaratio prosequendæ appellationis ad Sedem Apostolicam; quam declarationem immediatè sequuta est missio supplicationis pro obtinendo rescripto ad Romanam Curiam; quod deprehenditur ex sequuta dicti rescripti impetratione in principio Iunij proximè sequentis, habitâ ratione intervalli, & longitudinis itineris; quæ realis prosecutio potentior est verbali declaratione, l. nostram & ibi Doff. C. de testam. Neque ad desertionem quicquam facit, quod probatum non sit, appellantem ante exitum quarti mensis docuisse apud præfatum Commissarium de factis diligentis prosecutionis: * Nam quamvis eo non facto Iudex à quo, qui huiusmodi terminum præfixit, possit ad suæ sententiæ executionem progredi, quamdiu apud superiorem causa appellationis non est introducta, nec iudici à quo inhibetur: inde tamen non inducitur appellationis desertio, quin durante adhuc fatalibus juris communis, appellationis prosecutio fieri, atque etiam late sententiæ executio impediri possit, si Iudex ad quem, aut ejus delegatus inhibendo vel cognoscendo præveniat, Paner. Decius & alij in c. personas de appell. lnd. Rom. sing. 163. hoc nesciunt Legista, Rota decis. 94. & 155. in novis, & 452. 358. & 359. in antiqu. sub tit. de appell. Proinde cùm appellans 3. tempestive rescriptum super appellatione sua à sententia D. Commissarii obtinuerit, & coram Abbate S. Gertrudis legitime prosecutus sit & præterea pars appellata huiusmodi appellationi & prosecutioni acquieverit, nec desertionem objecerit: dubitandum non est, quin sententia Decani S. Martini sit non tantum iniqua, sed etiam nulla; eò quod falsam causam contineat, l. 2. & 3. C. si ex fals. instrum. l. 1. §. hæc verba Ne vis fiat & c. l. si pætor §. Marcellus de iud. quia scilicet appellatio à sententia Commissarii fuerit deserta. Sed & si pro causa retractationis sententiæ dicti Domini Abbatis dixisset, huiusmodi appellationem fuisse nullam propter dictam alternationem; nihilo magis sustineri posset: quia ex prædictis satis constat, illam propter prædictam alternationem non posse dici nullam; præsertim quia illi Iudex detruxit, atque etiam pars appellata, cujus nusquam extat

extat aliqua contradictio, nec nullitatis vel desertionis obiectio; quæ obiectio omnino necessaria est. † Et hoc est, quod eleganter docet Felinus, in c. Ex parte 2. nu. 11. Descripti. & sequitur Rebuff. ad consil. Reg. in tract. de appell. artic. 5. glof. 1. nu. 47. vel. 3. & in re proposita magnum momentum habet, quod Iudex appellationis, si ex actis compertat, appellationem à sententia interpositam esse desertam, & de desertione coram eo disputatum non fuisse, non debeat ad desertionem respicere, nisi talis sit desertionis species, quæ obiecta excusari possit, secus si talis sit desertio, quæ nullam excusationem admittit: ut est illa, quæ inducitur per biennij lapsum, Auth. Et qui appellat De temp. appell.

Nec denique ad nullitatem appellationis facit, quod appellans intra quindecim dies per dictum Commissarium præfixos elegerit iudicem: quia inde non inducitur nullitas appellationis, neque etiam desertio; cum nullum hoc casu appellatus habeat interesse, qui durante fatalibus dictorum quatuor mensium, nullum interesse passus fuit, Comm. in d. c. si u. cui nu. 5. satisque fit, quod appellans intra quatuor menses initium prosecutionis fecerit, & Iudex à quo, atque item appellatus ab executione abstinuerint, eoque appellans impetrato rescripto ac Iudice prævenierit. † Non enim per omnia sic arctat terminus hominis, ut terminus juris; cum etiam post terminum hominis prosecutio detur, Panor. & alij in d. c. personas: & in mora modici temporis (quod censetur, quamdiu adversarij non interest) nullum sit præjudicium, l. Et si post tres & ibi Doct. Si quis cautionib. tantumque, in d. plus possit realis electio, seu declaratio per ipsam prosecutionem, quantum verbalis, præterquam quod alioqui in dubio potius reiicienda sit desertionis cogitatio, quam assumenda; & admittenda appellationis prosecutio potius, quam reiicienda, Casiren. & Ias. in l. 1. nu. 17. si quis cautionib.

6 Ex quibus manifestum esse putamus, articulos de desertione hujusmodi, qui nunc primum in quarta instantia post conclusionem in causa exhibentur, cum non sint relevantes, & admissi seu probati nihil relevarent, fore reiiciendos, l. Ad probationem 1. in fine C. de probat. l. si duo patroni §. idem Iulianus & ibi Alex. & Iason. de iurjurando, & secundum conclusionem appellantis iudicandum.

De Appellationibus.

SYMMARIUM.

Appellatio malè interposita.

1. Appellatio ex falsa causa non valet.
2. Appellari non potest à sententia super executione faciendâ.
3. Appellatio ab interlocutoria quomodo faciendâ.
4. Præceptum de solvendo vni sententia definitiva habet.
5. Appellare non licet à sententia ex confessione partis lata.
6. Sententia etiam iniqua ius facit.
7. Sententia contra absentem lata quando teneat.
8. Præceptum de solvendo adversus absentem an fieri possit.

Conf. Wam. Tom. I.

9. pignoris amissionem culpâ creditoris contigisse debitor allegare & probare debet.

CONSILIVM CLXXII.

ADVERTANT Venerabiles Domini Iudices diligenter ad tenorem scedulæ appellationis tertia mensis Martij coram Magnifico Domino Rectore pro parte Domicelli Ioannis Rybera mariti Domicelle Mariæ Ellens interpositæ, & manifestè deprehendent hanc appellationem accommodari non posse ad sententiam (ut appellantes illam vocant) interlocutoriam ultima Februarij tunc proximè antecedentis latam; etiamli procurator appellantium exhibendo scedulam, dixerit se ab ea appellare: quippe in dicta appellationis scedula aliud contra dictam sententiam ultima Februarij latam pro gravamine non allegatur, quàm quod per illam sententiam interlocutoriam pronuntiatum & declaratum fuerit, quod pars Actrix teneretur Reis solvere ducentos florenos Rhemenses; id quod ex lectione dictæ sententiæ interlocutorie ultima Februarij latæ, manifestè deprehenditur falsum esse: cum tenor ejusdem sententiæ interlocutorie hoc tantum contineat, quod Magnificus D. Rector inhæreat decreto undecima mensis Septembris lato, adjunctâ condemnatione expensarum litis citra dictam diem undecimam Septembris factarum. † Proinde ex causa notoriè f. l. a, cuiusque falsitatem demonstrat actorum inspectio & lectio, interposita appellatio ipso jure nulla est, c. Cum appellationibus de appell. lib. 6. Ioan. Andrea in c. 1. de appell. lib. 6. nu. 11. Alex. in addit. ad Bart. in l. 1. §. fin. de appellat. ita nullum devolutivum effectum operari potest, & iustificandi illam omnem spem præscindit.

Et quamvis videri posset, quod Magnificus D. Rector declarando se inhæreare decreto undecima Septembris lato, compendio verborum & effectualiter repetierit contenta decreti undecima Septembris lati; ita tamen res se non habet. Nam huiusmodi decretum inhesionis quoad dictam sententiam undecimæ Septembris, non est repetitio aut multiplicatio sententiæ antea latæ, sed magis decretum; non quidem confirmativum, quo opus non erat, postquam illa sententia, nulla appellatione suspensa in rem transierat iudicatam, sed executivum adversus ineptam dictæ partis agentis petitionem post rem iudicatam propositam, tunc & postquam illa sententia transierat in rem iudicatam, Guido Papa cons. 66. In factis præsupponitur & cons. 76. circa processum & cons. 83. Non potest. † Iam verò manifestum est à sententia super executione seu de exequendo lata appellari non posse nisi in exequendo modus excedatur, l. Ab executore C. Quorum appell. non recip. Et si quod gravamen in dicta sententia interlocutoria constitui potuisset, id secundum acta non poterat aliud esse, quàm quod Magnificus D. Rector per huiusmodi sententiam interlocutoriam tacite reciderit petitionem actoris post dictam rem iudicatam propositam: ea autem petitio non fuit de revocando aut retractando dictam sententiam undecima mensis Septembris latam, aut declarando illam fuisse nulliter pronuntiatam, sed de eo tantum, quod per partem

Ream

Dd 3